

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XXXIII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122**

cur insolentiores, minis autem & verberibus facile in officio possint contineri, de quibus vulgò dicitur: Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens, Vngentem pungit, pungentem rusticus vngit.

## Caput XXXIII.

**H**OMINES insipientes fallunt semetipsos spe inani, <sup>Somnia.</sup> & stulti fidunt in somnijs suis. Qui confidunt in somnijs, conanturprehendere umbram, & ventum pugno includere. Somnia nihil aliud sunt, quam imagines inanes rerum non existentium. Quod impurum est, quomodo hoc purum esse potest? Et mendacium quomodo potest esse verum? Prophetia, interpretatio & somnia, quæ ex teipso offens, nihil sunt, & tamen tristes cogitationes offerunt. Quæ nisi suggestione Altissimi fiant, omnia contemne. Nam somnia multos decipiunt, & fallunt illos, qui confidunt in eis. Non opus est mendacijs ad colendum Deum, aut seruanda mandata. Nam satis est habere verbum Dei ad rectè docendum.

Vir exercitatus multa intelligit, & homo benè peritus <sup>Solus & artifices qui faciunt vsus erit.</sup> nouit differere de sapientia. Qui autem inexercitatus est, parum intelligit, & spiritus erronei plurimum mali pariunt. Cum adhuc essem in errore, etiam docendo obtundebam quosuis, & adeò doctus eram, ut non omnia proloqui possem, atq; sepe eo nomine in discrimen vitæ adductus sum. Nunc primum video, quod timentes Deum verum spiritum habent. Nam spes eorum fixa est in illo, qui saluare eos potest.

Non est, ut vlla re conterreatur is, qui Deum timet, aut <sup>Fides.</sup> ut perhorrescat quicquam. Nam ipse est fiducia eius. Beatus vir, qui timet Dominum, sed in quo tandem confidit? Quæ est petra eius? Oculi Domini respiciunt eos, qui diligunt ipsum. Et est fortis munitio, ingens robur, certa protectio aduersus æstum, tabernaculum aduersus calorem meridianum, custodia aduersus gressum vacillantem, sustentatio firma aduersus casum, quæ exhilarat cor simul & faciem, dat sanitatem, vitam & benedictionem salutis.

Somnia.

**P**artes tres sunt. I. De somniis vigilantium & dormientium, quibus stulti confidunt & falluntur. Ut enim quæ in somnis offeruntur visa, inania sunt & vana: sic spebus, quæ sunt ἐξηγησάντων ἐνύπνια, id est, vigilantium somnia incerta & fallacissima, plurimi decipiuntur & pudefunt. Iubet igitur nos Syracides in agnitione & doctrina de Deo & cultibus diuinis & omnibus vitæ consilijs & actionibus, non nostrarum mentium imaginationes & somnia, sed solum verbum Dei, velut vnicam & immotam veritatis normam, sequi. Pertinet autem hæc doctrina, ad primum præceptum Decalogi, Et adiungendæ sunt similes conciones. Deut. 13. Non audies verba somniatoris, Dominum Deum vestrum sequimini, & mandata eius custodite, & illius vocem audite. Esa. 8. Ad Legem & ad Testimonium, Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Eccles. 5. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, Tu verò Deum time. Adolescentes etiam repetant hoc loco communem doctrinam Physicam de Somnijs, quæ sunt imagines factæ in somno à spiritibus cerebri, quod speciebus, vel interdiu sensui oblati, & adhuc in illo reliquis (Aristoteles nominat ὑπόλημμα ἢ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθημάτων) vel transmissis ab affectu cordis, vel ab aliorum membrorum aut humorum certorum motu excitatum, varias imagines & simulachra format. Hæc Physicorum somniorum descriptio est, ex quibus nil de futuris euentibus voluntarijs aut fortuitis diuinari potest. Et crebræ horum descriptiones sunt apud Poëtas, vt Claudianum:

Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,  
 Vanaque nocturnis meta timetur equis.  
 Venator defessa toro cùm membra reponit,  
 Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.  
 Omnia quæ sensu voluntur vota diurno,  
 Tempore nocturno reddit amica quies.

πᾶσα κών ἄρτες μαντεύει, ἢ ἰχθὺα κἀγά.

Alia nominantur præfagientia somnia, quæ quibusdam velut allegorijs & similitudinibus futuros euentus pingunt. Horum exempla multa recitat Cicero in libris de Diuinatione, Et Aristoteles inquit: τεχνικῶτατο εἶναι κατὰ ἐνυπνίων, ὅς τις διωατός ἐστὶ τὰς ὁμοιότητας θεωρεῖν. Cum autem totum hoc genus ambiguum, obscurum & fallax sit: Prohibet hoc loco Syracides somnijs confidere, aut aliquid ex ijs asseuerare. Ac si quid præfagierunt, id ex euentu & à posteriori tantum iudicari potest, vt Xenophon in Anabasi inquit: ὁποῖον μὲν δὴ ἐστὶ τὰ τοιαῦτα ὄναρ ἰδεῖν, ἔχει σκοπεῖν ἐν τῷ συμβαίνοντι μετὰ τὸ ὄναρ. Alia sunt Diabolica, vt cum diabolus Xerxi & Artabano in somnijs imaginem offert, qua ad bellum Græciæ inferendum incitatur. Postremum genus est eorum, quæ suggestionem altissimi fiunt, seu quæ Deus ipse mentibus inferit, & expressis testimonijs ostendit se illorum authorem esse, vt somnium Nabuchodonosor de quatuor Monarchijs pictis imagine capitis aurei, pectoris argentei, ventris ænei, pedum ferreorum & luteorum. Ex quo somno Poëta descriptionem quatuor ætatum mundi sumserunt. Talia sunt somnia Iosephi sponsi Mariæ, Iosephi filij Iacob, Pharaonis, &c.

Vir exercitatus multa intelligit, qui autem non est tentatus, qualia scit? Vt in cæteris artibus tres causæ artificem faciunt, Natura, Præcepta artis seu doctrina, & exercitatio seu vsus assiduus. (lib. 6. Decretalium. Magistrarum efficit experientia. Glossa. Natura potentem, ars facilem, vsus promtum red-

tam reddit artificem) Ita Theologum bonum vero timore Dei & fide præstantem, efficiunt, non solum doctrina bonarum artium, & cognitio linguarum & eloquentia eximia, sed primum spiritus sanctus: secundo, Verbi divini lectio & meditatio pia & assidua, per quam Spiritus sanctus efficax est, & lucem veræ agnitionis Dei in mentibus accendit, & per sanctam crucem in doloribus & ærumnis veram fidem, inuocationem, patientiam, spem & ceteras virtutes Deo placentes exercet, auget, expolit & confirmat. Nam, ut grauiissime D. Irenæus inquit, Deum rectè discere nemo potest, nisi Deo ipso docente. Tertio, Crux & tentationes seu ærumnæ & dolores, in quibus doctrina de timore Dei, & fide, ad usum transfertur & exercetur. Est enim Theologia non speculatiua doctrina, sed practica. Ideo homines prophani, quantumuis eruditione & eloquentia excellant, tamen si expertes sunt ærumnarum & dolorum, nec in veris doloribus cogitatione iræ Dei expauescunt, nec consolatione eriguntur: nihilo magis de timore Dei & consolatione fidei iudicare possunt, quàm surdi de harmonijs vocum in cantu, quas exaudire nequeunt, imò ne quidem vocabula vsitata, quid sit timor Dei, quid sit pœnitentia, quid fides, quid consolatio, &c. intelligunt.

Ut igitur in ceteris artium generibus plerisque solus & artifices qui facit, vsus erit: ita in Theologia etiam imprimis valet aurea hæc studiorum regula, ab Epicteto tradita: εἰδέναι καὶ ὅτι ἡ ῥάδιον δόγμα παραστρέσαι ἀνθρώπου, εἰ μὴ καὶ ἐκείνου ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγει τις καὶ ἀκούει καὶ ἄμα ζῆτο πρὸς τὸν βίον. In hanc sententiam Syracides hoc loco inquit, Qui non est tentatus, nihil scit. & Esaias, Vexatio dat intellectum, πειθήματα μαθήματα. *Cum adhuc essem in errore, docendo obtundebam quosuis.* Ut vasa inania maiorem sonum edunt, quàm plena: sic homines veræ sapientiæ & solidæ doctrinæ expertes, multo loquaciores sunt, quàm alij verè sapientes: sicut fatuas mulierculas & pueros plurimum garrere videmus. Et Reuchlinus dicere solitus est, iuris studiosos primo anno omnium doctissimos esse, & omnes casus diiudicare & decidere posse. Secundo anno eos aliquantulum dubitare de sua sapientia. Tertio anno, cum illud immensum pelagus disputationum intropicere incipiunt, eos agnoscere, quod nihil sciant. Et tunc primum feliciter eos studium iuris inchoare dicebat. *Nunc primum video, quod timebant Deum verum spiritum habent.* Vera Theologia est, non disputare & garrere multa de Deo, de modo generationis Filij, & processione Spiritus sancti, de modo præsentia corporis Christi in Coena, de diuina sustentatione & permissione, sed verè Deum timere, & illi confidere, & obedire. Regnum Dei non est positum in sermone, sed in virtute.

*Non est, ut vlla re conterreatur is qui Deum timet.* Insignis descriptio est FIDELI seu fiducia cordis in Deo nobis propitio acquiescentis, quod in omnibus periculis & doloribus, DEO tanquam petra & arci munitæ innitens, tranquillum & lætum manet, & sine vlla trepidatione & metu, Deo nobis propter Christum fauenti & placato obedit, & in eo acquiescit & lætatur. Hæc propria ecclesiæ Dei & piorum virtus est, de qua Psalm. 61. concionatur: Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, salutaris meus, susceptor meus, non mouebo amplius. Et Psalm. 91. Qui habitat in adiutorio altissimi. Prouerb. 18. Turris fortissima nomen Domini. Esai. 4. Est vmbraculum ab æstu, &c. ex quo Esaiæ loco pleraque huius capituli postrema verba Syracides descripsit.